Draski Adami: Quaestio theologica de s. Scripturae eminentia.



D. O. M. S.

QVÆSTIO THEOLOGICA

DE

SACRÆ SCRIPTVRÆ EMINENTIA.

Quam

Præsidente Admodum Rńdo Patre, D. M.

IACOBO VSTIENSE.

S. T. & I. V. Doctore & Professore, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI, & S. GEORGII in arce Crac. Custode, & Præceptore Colendissimo.

M. ADAMVS DRASKI S. T. B. & Professor, ad S. FLORIANVM *Canonicus, publicè ad disputandum in alma Academia Cracouień: proposuit.*

Permissu A. R. P. Sacræ Theolog: Facult: Decani.
Lectorio DD. Theologorum.

A. D. 1644. Mense Septembr: Die 15 Hora 13.

S. Nicephorus lib. 11. cap. 2 de Basilio magno, & Gregorio Theologo.

Inter Gregorium, & Basilium, & vitæ sanctioris, & profanæ; simul sacræq; doctrinæ concertatio fuit. & cum ad Philosophiæ studia, & ad causas in foro agendas valde appositi essent: studio vtroq; contempto, solitariam vitam sunt secuti. Itaq; postquam in Philosophicis literis satis versati essent: ex Origenis, & aliorũ, (qui illum, vel præcesserant, vel consecuti fuerant) Libris, sacrarum literarum scientiam addidicerunt.

D. O. M. S.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

V. Sacra Scriptura, tam ſpeculatiuam, quàm Practicam continens in ſe cognitionem de DEO, & immediatè diuinæ Reuelationi innixa, ſit ad ſalutem neceſſaria, tanquam infallibilis regula, eademq́ue tantæ ſit facilitatis, vt à quouis proponi, explicari, & in vulgare idioma, cui ſecurè ſit in rebus Fidei inhærendum, transferri poſſit, necne?

CONCLVSIO I.

DOctrina Sacræ Scripturæ, diuinæ Reuelationi immediatè innititur.

COROLLARIA.

1. Ipse DEVS *gloriosus est Primus Autor doctrinæ, in Sacra Scriptura, comprehensæ.*

2. Sacri Autores, lumine diuinæ reuelationis illustrati, conscripserunt sacrosanctam Scripturã.

3. Ratio formalis assentiendi veritatibus Sacræ Scripturæ, est Autoritas DEI *reuelantis.*

4. A diuina reuelatione libri vtriusq; Testamenti denominantur Sacri.

5. Concilia generalia, ob sancti Spiritus assistentiam, & reuelationem ab eo factam, suo modo concurrentem, sacrosancta sunt dicenda.

CONCLVSIO II.

SAcra Scriptura est infallibilis regula, tam speculatiuæ, quàm practicæ cognitionis de DEO.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Rationes speculatiui & practici, proprium est Sacræ Scripturæ, eminenter continere.*

2. *Habitu Fidei infusæ freti, aßentimur Sacræ Scripturæ veritatibus.*

3. *Inter principia Theologiæ Scholasticæ, Sacra Scriptura primas tenet.*

4. *Sacræ Scripturæ est infallibilis regula cognoscendi, & amandi* DEVM, *ceu finem supernaturalem.*

5. *Scientiarum profanarum veritates, ad Sacræ Scripturæ veritatem, ceu ad Lydium lapidem sunt examinandæ.*

CONCLVSIO III.

DOctrina Sacræ Scripturæ, ad salutem est simpliciter necessaria.

COROLLARIA.

1. *Fideles ad cognitionem Symboli Apostolici, & Præceptorum Decalogi obseruationem tenentur.*

2. In nullo statu potuit Homo absq; cognitione de DEO *reuelata, saluari*

3. Etiam ante legem scriptam saluandis fuit prospectum de DEO *cognoscendo, per reuelationem factam.*

4 Sacra Scriptura absq; traditionibus Apostolicis, non est adaequata regula cognitionis ad salutem necessariæ.

5. Initium nostræ salutis est simpliciter gratuitum.

CONCLVSIO IV.

PRorsus falsó asseritur Sacram Scripturam, quoad omnia esse intellectu facilem.

COROLLARIA.

Sacra Scriptura quoad sensum, tam literalem, quàm mysticum, explicatione opus habet.

2. Non est possibile, vniuersam Sacram Scripturam, ad sensum literalem reducere.

3. Qui.

3. *Quicunq; soli sensui literali inhærent, illi contradictiones Sacræ Scripturæ apparentes non possunt conciliare.*

4. *Licet Libri Historiæ Sacræ, præ alijs facilitatem habeant - nec tamen sua carent difficultate.*

5. *Ex certitudine Sacræ Scripturæ, non potest inferri facilitas.*

CONCLVSIO V.

PRopositio & explicatio Sacræ Scripturæ, non ad quemuis indifferẽter pertinet.

COROLLARIA.

1. *Necesse est, esse aliquam supremam Autoritatem, quam ex Diuina ordinatione, propositio & explicatio Sacræ Scripturæ concernat.*

2. *Autoritas eiusmodi, sit oportet, partim diuina, partim humana.*

3. *Non alibi quàm penes Ecclesiam Catholicã, quæ Romana dicitur, ista Authoritas inuenitur.*

4. Li-

4. Licet Sacrà Scriptura sit regula: non tamen propriè est iudex discernendi sensus sui veri, à falsò.

5. Vsurpatores proponendæ, & interpretandæ Sacræ Scripturæ, non mirum; quod in errores lapsi, variarum Hæresum sint facti auctores.

CONCLVSIO VI.

NEmini licet, priuata autoritate transferre Sacram Scripturam, in vulgare idioma, aut editioni translatæ inhærere.

COROLLARIA.

1. Sacræ Scripturæ per S. Hieronymum translatæ, & à SS. Concilio Tridentino approbatæ, securè est cuiuis inhærendum.

2. Sicut in translationibus, ita & in explicatione sacræ Scripturæ, quoad suam puritatem retinendæ magna DEI *relucet prouidentia.*

3. Tran-

3. Translatio sacræ scripturæ, in vulgare alicuius gentis idioma non ita interdicitur, quin ex iustis causis ab Ecclesia Catholica permitti possit.

4. Translatio sacræ scripturæ, in vulgare idioma, necesse est cum vulgata, & ab Ecclesia Catholica approbata (qualis est Sancti Hieronymi iudicata) vt consentiat.

5. Motu diabolico, ad translationes sacræ scripturæ Hæreticorum sectæ sunt progreßæ, ideoq; sinceritatem sacræ Scripturæ, falsifica corruperunt transpositione.



S. Paulus ad Romanos cap. 15.

Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus. DEVS autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere alterutrum, ſecundùm IESVM CHRISTVM.

Sub felicibus auſpicijs

Magnifici & Admodum Rndi Domini,

M. IACOBI VITELLII

S. Th. Sententiarij, ac Profeſſoris, Eccleſiæ Collegiatæ Sancti FLORIANI CANONICI, Prouiſoris Collegij Wladiſlauiani, Studij Vniuerſitatis Crac: Generalis

RECTORIS.



CRACOVIÆ,

In Officina Christophori Schedelij,
S. R. M. Typogr. A. 1644.